Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

1572

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-quartâ Januarii 1704.

M. BERTINO DIEUXIVOYE, Doctore Medico, & antiquiore Scholarum Magiſtro, Præſide.

An profligandis morbis impares Venæſectio & Purgatio?

CONTUMELIOSUS eſt & infenſus naturæ, qui contempto temperamento, qualitates primas nobis familiares atque connatas explodit. Quaternæ proſtant, ex quibus efficaciâ potiores Calor & Frigus ab Hippocrate celebrantur; binæ aliæ, Humiditas, atque Siccitas, licèt earum expreſsè non meminerit, quoniam vix activæ, haud minùs ab illo intellectæ ſunt, quàm ab eximiis elementorum aſſertoribus. Medicum itaque Phyſicum Philoſophumve ſenſibilem dicas, perinde eſt; is dulce, amarum, ſalſum, acidum, acre, alkali à ſale & kali fictitio nomine, coagulum, fermentum, & id genus multa lubens loquitur, quoniam in enodandâ ſingulorum naturâ ad prima Veterum elementa facilè revocantur, juxta quæ iiſque annexas qualitates primas veritatem illi proſequuti ſunt, nuſquam è puteo Democriti, quo demerſa credebatur, meliùs aut certiùs revocandam, quàm illâ Veterum philoſophandi ratione: & ſanè caloris, frigoris, ſiccitatis & humiditatis, elementorum, & ex iis ſuâ quibuſque invicem proportione commixtis temperamenti & intemperiei vocabulorum uſus ſic invaluit ſcriptis vel ore tenus Philoſophorum, ut, qui novitatis ſtudioſi ſyſtematum cacoëthe magis laborant, illi, licèt incauti & inviti, vulgatis nominibus ac pridem receptis ſuam doctrinam evulgent, quæ à veteri nuſquam reipsâ, ſed nominibus duntaxat, diſſentire viſa eſt: adeò malè certa eſt Novatorum peritia, quæ communibus Veterum Philoſopho-Medicorum loquendi formulis carere, vel Intemperiei cacochymicæ atque Plethoræ mentionem prætermittere nondum novit.

ET reverâ Intemperies atque Plethora morborum omnium interiores ſunt cauſæ, quæ ſanguini acceptæ referuntur. Sed ambarum utra pejor cenſenda, majoriſque momenti videtur? Ea eſt profectò Plethora, ſeu ad vaſa ſeu ad vires nuncupetur: licèt enim illa periculi præſentiâ, quod inſtat, fatum minetur, nî ſtatim occurreris, nihilominùs tamen in plenitudine ad vires dictâ, quia morâ putreſcunt aquæ, & unà cum calore ſpiritus ſuffocari nihil vetat, in eâ, inquam, mittendi ſanguinis æqualis neceſſitas indicatur, quâ quidem arte, quæ magnitudini morbi ferendæ vires longè impares habebantur, natura illius humoris peccantis aliquâ parte levata eidem, quod ſupereſt, ſuccutiendo alacriùs inſurgit, quoniam calor extraneus atque febrilis ſenſim miteſcens fit temperatus, qui ſolus coquere & ad purgationem indomitos priùs humores diſponere, ſuiſque ſtatim inſigniis redditæ ſerenitatis argumenta, nube ſurſum in urinis ſuſpensâ, humoribus morbificis nonnullâ craſſitie conciliatâ, ſymptomatumque commoderatione promere poteſt; quibus eluceſcentibus, in omen affuturæ ſecuritatis, ampla ſe præbet occaſio inſtituendæ Purgationis, quæ totum θεραπείας opus perficit: à purgatione enim in ſtatu decidentiæ auſpicari, aut incipiente morbo, nefas; atque febricula, cardialgia, λειποθυμία, dolor capitis, vel ſpontanea laſſitudo maleſvada ac intempeſtiva indicatio habenda eſt oggerendi cathartici, quod tunc ciendis turbis, nec uſquam bonis ægri rebus, comparatur.

EX humoribus majori vitæ diſpendio ſeditionem nullus concitat, quàm Sanguis, quoniam omnium perfectiſſimus atque maximè neceſſarius habetur. Siquidem, quicquid is eſt, partes omnes corporis animat, firmat, alit, auget, verbo dicam, ſpiritibus nobiliſſimis animæ organis, quibus vita & actio continentur, humido primigenio materiam ſuppeditat atque ſemini, muliebri æquè ac virili fæcundo, quod ipſi ſpeciei ut perpetuitatis ſuæ cauſam, ceu quoddam ſpecimen immortalitatis, natura conceſſit; unde tantis tamque multis nominibus, quibus jure merito ornatur, tanquam vitæ theſaurus paſſim audit. At verò, quantumvis ita celebretur ſanguis, eò pernicioſiori putredinis notâ fœdatur, ubi quò plus habet dignitatis, mox è ſuo perfectionis gradu in ſtatum priori contrarium degener factus propriam exuit naturam, & ſibi admodum nocet peſſimus ex optimo redditus, adeò ut labefactatis prorſus convenientiæ & familiaritatis ſuæ principiis, ampliùs aſſimilari non poſſit, nec mirum ſit, ex eo tam malè affecto, tantùm, inquam, à ſe mutato, turbas ferè implacabiles cieri, & inde ne ſolitos quidem morbos, ſed etiam inſolentes, venenatos, peſtilentes, & id genus alios potiſſimùm enaſci, quorum putredinis ratio verbis vix explicari poſſit.

AT enim, dum nimietate ſuâ ſanguis ſibi adeò infenſus eſt, vel percepto calore extraneo rareſit, ſuos tantæ copiæ ferendæ impares parietes, nec citra vitæ diſcrimen, rumpit, vel, ſi vaſorum clauſulis preſſus remanens minimè que difflatus putredinem contrahit & depravatur, tunc putreſcendo Cacochymiam infert, cui poſtmodum radicitùs auferendæ Purgatio, recèns editis in lucem infantibus æquè ac recèns ablactatis neceſſaria; confert; ut & illi præcipuo ſanguinis vitio, Plethoræ nimirum arcendæ, unica Venæſectio convenire poteſt. Cætera levioris armaturæ præſidia ſint, quæ evacuant, ſanguiſugæ, veſicantia, cantharides, deraſio capitis comatoſorum, quæ ad inſtar duræ frictionis eſt, parvi fiant; ne, ſi nimis confidenter illis aliquando utaris, altero prætermiſſo artis maximo præſidio, te tua ſpes fallat. Hinc enim Epaphæreſis & inde Catharſis, tempeſtivè adhibitæ, omnem medendo paginam complent.

LICET verò Venæſectionis, tanquam ἡγεμονικοῦ & univerſalis remedii neceſſitatem multa, quæ affert in medendo, commoda celebrent, nihilominùs tamen Purgationis utilitatem ejuſque indicationem quandam eſſe naturæ ipſius, digito quaſi commonſtrat lactis materni coloſtrum, quod illa parens optima, quæ conductitiam nutricem refragatur, recèns natis infantibus offert, ut purgans in omnibus ſtatim à partu animantibus utiliſſimum. Namque ſi ſua medicina deeſt infanti, ipſi mollis caſſia ſtatim ſubminiſtretur, cujus ope nitentibus viſceribus nutritiis, ſubmotiſque hoc modo collectis per geſtationem ſordibus, quæ puerilium morborum cauſæ ſunt, firmiora felicioris valetudinis in poſterum fundamenta jaciuntur. Sors eadem recèns ablactatis contingit, ſcilicet ob capitis infirmitatem, majorem jecoris molem, molliorem que & rariorem corporis texturam, quemadmodum pluribus patet turbis lactentium & ablactatorum ætas, ſic & fato prœmaturè obeundo longè magis obnoxia eſt, quàm alia quævis ad ſenium ætas: aut ſi quæ tardandi fati ratio datur, ea eſt Catharſis, qua quidem tempeſtivè repetitâ, ubi, quicquid in primis ætatibus nimiâ eſitatione collectum ſupereſt, quod morando putreſcit, expurgatum eſt, viſcera tunc εὐπνοίστερα redduntur, atque ea de re minimè ſuſpectæ dotes, εὐφορία καὶ εὐτροφία, apud puerum in omen ſanitatis ad provectam uſque ſenectutem elucent. Nec id citra Medici induſtriam, qui velut in aucupio poſitus nunc præcavet, nunc agit; ſcilicet hac illave ratione opportunè vacuando cautionem adhibere hic vir unus novit non minùs medendi peritiâ, quàm ſuâ probitate commendabilis.

Ergò profligandis morbis non impares Venæſectio & Purgatio.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Philippus Caron, Pharmaciæ, Chimicæ Galenicæ Profeſſor.
M. Ambroſius Nicolaus Chemineau.
M. Joannes Gelly.
M. Michaël Sauvale.
M. Claudius Burlet, è Regia ſcientiarum Academiâ.
M. Alexander Petrus Mattot.
M. Ludovicus Poirier.
M. Petrus Bonnet Bourdelot, Sereniſſimæ Ducíſſæ Burgundiæ, Medicus primarius, nec non Regis perpetuò ordinarius.
M. Joannes-Baptiſta Renatus Moreau, Profeſſor Regius.

Proponebat Pariſiis JACOBUS BENIGNUS WINSLOW, Danus Othonienſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1704.